



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE QUANDOQUIDEM BEATA MARIA VIRGO  
DE MERCEDE CONFIRMATUR PATRONA

TOTIUS PROVINCIAE IMBABURAE, IN REPUBLICA AEQUATORIANA Ad perpetuam rei  
memoriam. – Quandoquidem Beata Virgo Maria est Christique Ecclesiaeque et fidelium omnium  
mater amabilis, quae sane laborantibus filiis invigilat, et praesidum in adversis, quae hominibus  
tanta instant, et exemplar egregium virtutum, quae in illa floruerunt magis quam in nullo mortaliuin,  
idcirco semper carum Nobis atque cum amantissimi filii officio coniunctum matris tantae honorem  
curare, pietatem augere, estendere obsequium. Qua re, cum clerus atque fideles provinciae  
vulgari sermone «Imbabura» cognominatae, in dioecesis Ibarrensis finibus, eandem beatissimam  
Virginem sub titulo de Mercede, quam a priscis temporibus singulari veneratione prosecute sunt,  
iam patronam suae provinciae elegerint, atque Venerabilis Frater Silvius L. Alveal, Episcopus  
Ibarrensis, quo est amore instinctus erga Christianorum parentem, electionem probaverit a  
Nobisque confirmari petierit, ad normam Instructionis de Calendariis particularibus atque  
Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30, Nos, id rati fore augendae religious erga  
caelestem Matrem causam, quam libentissime admotae expostulations concedimus. Placet ergo  
Mariam Virginem de Mercede patronam apud Deum provinciae Imbaburae esse et haberi, cum  
omnibus iuribus et privilegiis liturgicis iuxta rubricas consequentibus. Contrariis nihil  
obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Decembris,*  
*anno MDCCCCLXXVIII, Pontificatus Nostri primo. IOANNES Card. VILLOT, Secretarius Status*

---